



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd Neophyti à lautioribus cibis aliquod tempus & à coniugibus se  
abstinere debeant. xii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

porē baptizantur. à gradibus Ecclesiasticis abstineant, nec ad clerum admittantur.

*De eadem ro. Cap. VII.*

**S**acroſancti baptisimi ſacramentum, non niſi in Paſchali Feſtiuitate, & Pentecoſte vnusquisque fidelium nouerit eſſe præbendum: exceptis hiſ quibus mortis periculo urgente, ne in æternum pereat, talibus oportet remediis ſubuenire.

*Ex cõcil. Vnorma- cic. ca. 10*

*Vt viginti dies ante baptiſmum ad purgationem exorcismi, catechumeni veniant.*

*Cap. VIII.*

**H**oc omnimodis præcipimus, & antiqui canones præcipiunt, vt ante baptiſmum viginti dies ad purgationem exorcismi catechumeni veniant, & in illis viginti diebus iuxta canonicum præceptum, & erudiantur & conſecrentur.

*Ex cõcil. Braggar cap. 3.*

*Quod omnes ad baptiſmum venientes quinta feria maioris hebdomadæ, fidem episcopo vel presbytero reddere debeant.*

*Cap. IX.*

**Q**uod oporteat eos qui ad baptiſma veniunt fidem diſcere, & quinta feria ſeptimane maioris episcopo aut presbyteris reddere.

*Ex cõcil. Laodiceni cap. 46.*

*Vt omnes baptizandi prius ſint exorcizandi*

*Cap. X*

**I**llud etiam quod circa baptizandos in vniuerſo mundo ſancta Eccleſia vniformiter agit, non ocioſo contemplatur intuitu, cum ſiue paruuli, ſiue ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm & exufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat, quomodo princeps huius mundi mittatur foras.

*Ex dere. Celest. pap. Gal- liarum e- piſ. miſſis cap. 12.*

*Vt baptizandi nomine dato à carne & vino ſe abſtineant.*

*Cap. XI.*

**B**aptizandi nomen ſuum dent ſub abſtinentia vini & carniſ, ac manus impositione crebro examinent baptiſmum.

*Ex cõcil. Cartha. cap. 85.*

*Quod neophyti à lautioribus cibis aliquod tempus, & à coniugiſ ſe abſtinere debeant.*

*Cap. XII.*

**N**eophyti aliquandiu à lautioribus epulis, & ſpectaculis, vel coniugibus abſtineant.

*Ex eodẽ cap. 87.*